



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Jordanvs Conf. 13. Februarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

mari discit. Ecce enim naufraga puella, & ad perniciem oculorum pulchra in rupem enatat. Hic Verò MARTINIANVS ignes præventurus in mare se abjicit. Quid expectas, lector? Delphines tergo excipiunt, & littori saluum reddunt. Vides, puto, nunc, quid in homine hi ament. *Ex Metaphr.*

Multi Diaboli fluctus sunt in hoc mundo, temptationum multa naufragia; à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Saluator extendit: Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit. S. Maxim. hom. Hyem. ult.

S. IORDANVS CONF. 13. Februarij.

Quem nudus in cruce Christus movet, ille tegere hunc à IORDANE discat, qui cum pauperi, quando ad manum nummi non erant, balthcum argenteum dedisset, templum mox ingressus exornatum eo Christum crucifixum advertit. Pulchrè locatum credidit: quin ut totum jam Christum tegeret, omnibus se nudavit, & ad D. Dominici paupertatem nudus confugit. Subinde toti familiæ illi præfuit. Mira in eo adolescentum animos ab humanis avellendi, & trahendi ad æterna ars & dexteritas. Eloquentiâ sua quocumque voluit totam concionem impellere novit, multum eam ob rem ab orco infestatus. Interea tamen Cælitates, & ex his præcipuè Cælitum REGINA favebant IORDANI. Quare ad hunc sceleribus oppressos velut ad doctissimum medicum non semel ipsa misit. Visa est deinde inter maximum Divorum comitatum, sub preces divinas, è manu IORDANIS librum accipere: aliàs cubicula dormientium alumnorum lustrare, quin ipse Divus, festo,

quo

quo Lustratam VIRGINEM colimus, die, vidit hanc è summâ arâ, ad illa cantantium verba) *Gloria Patri, &c.*) prehensâ filioli manu omnibus benedicere. Poterat hoc credo ad cantum Angelos provocare. Ceterùm dum Terram sanctam petit IORDANVS, naufragus in medio mari portum reperit, appulsusque ad beatiorum est Solyam. *Ex Surio.*

Debemus surgentes gratias Christo agere & omnino dies opus in signo facere Salvatoris. Nam in uno signo Christi omnium verum est tuta prosperitas: Qui in hoc signo seminare cœperit, vitæ fructû conseqetur aeternæ. S. Max. de carn. host. non timend.

S. AVXENTIUS ABB. 14. Februarij.

AVXENTIUS, cùm eodem in contubernio non convenire Marti & vitæ innocentiæ perspicere, ut DEO vacaret, vacationem à militiâ sibi impetravit. Neque arma tantum posuit, sed ut miserum contra frigus armaret, tunicam ex mendicabuli humeris suspendit. Aliâ quò pauperibus stipendia numeratet, operam suam inter opifices locavit. Oxeam deinde montem conscendit, atque iterum, sed melior miles sub pellibus vixit, omni aliâ veste abjectâ. His horridum pueri Pastores, cùm gregem amissum quærent, feram putarunt. Sed ille, quâ erat in juventutē humanitate, facillè se hominē probavit, imò homine majorem ostendit, cùm vates pueris absens edixit, quò greges aberrassent. Inter hæc celebrari ab accolis concurrentibus cœpit, cùm passim ægri venirent, sani redirent. Ipse Imp. Marcianus familiariter usus viro fuit, & ad Chalcedonense Concilium evocavit. Ibi dum Patres præstolatur, & velut impostor